

Alte Drucke

**M. T. CICE=||RONIS EPISTO-||LAE AD COMPLVRES || SCRIPTAE,
QVAS VVLGO || FAMILIARES APPEL=||LARVNT, || CVM
ARGVMENTIS GI-||berti Longolij, editæ || DE ...**

Cicero, Marcus Tullius

Lipsiae, 1566

VD16 ZV 30873

MARCI TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD Q. METELLVM PROCONS. ET
CAETEROS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149860

TT. 15

Accepi perbreuis tuas literas, quibus id, quod scire cupiebam, cognoscere non potui: cognoui autem id, quod mihi dubium non fuit: Nam quam fortiter ferres communes miseras, non intellexi: quam me amares, facile perspexi, sed hoc sciebam: illud si scissem, ad id meas literas accomodassem. Sed tamen etsi antea scripsi, quæ existimaui te scire oportere: tamen hoc tempore breuiter commonendum putavi, ne quo periculo te proprio existimares esse: in magno omnes, sed tamen in communi sumus. Quare non debes propriam fortunam aut præcipuam postulare, aut communem recusare. Quapropter eo animo sumus inter nos, quo semper fuimus. Quod de te sperare, de me præstare possum. Vale.

MARCI TVLLII

CICERONIS EPISTOLARVM
LIBER AD Q. METELLVM
PROCONS. ET CÆ-
TEROS.

Q. METELLVS CBLER Q. F. PRO-
58 CONSVL, S. D. M. T. C.



luales, bene est. Existimam
pro mutuo inter nos animo, et
pro reconciliata gratia: neque
absentem ludibrio læsum iri me
Metellum fratrem ob dictum ca-
pite et fortunis per te oppugna-
tum

tum iri: Quem si parum pudor ipsius defendebat, debebat uel familiæ nostræ dignitas, uel meum studium erga uos Remq; publicam satis subleuare. Nunc uideo illum circumuentum, me desertum, a quibus minime conueniebat. Itaq; in luctu & squalore sum, qui prouinciae, qui exercitui præsum, qui bellum gero: quæ quoniam nec ratione, nec maiorum nostrorum clementia administratis, non erit mirandum, si uos pœnitebit. Te tam mobili in me meosq; esse animo non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cuiusquam iniuria a Republica abducet. Vale.

M. T. C. Q. METELLO Q. F. CELE-
RI PROCONSVLI S. D. 59

Situ, exercitusq; ualetis, bene est. Scribis ad me, te existimasse pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, nunquam te a me ludibrio læsum iri. Quod cuiusmodi sit, satis intelligere non possum: sed tamen suspicor ad te esse allatum, me, in senatu cum disputarem, permultos esse, qui Rempublicam a me conseruatam dolerent, dixisse, a te propinquos tuos, quibus negare non potuisses, impetrasse, ut ea, quæ statuisses tibi in senatu de mea laude esse dicenda, reticeres. Quod cum dicerem, illud adiunxi, mihi tecum ita dispartitum officium fuisse in Reipublicæ salute retinenda, ut ego urbem a domesticis insidijs, & ab intestino scelere, tu Italiam & ab armatis hostibus, & ob occulta coniuratione defenderes: atque hanc nostram tanti, & tam præclari muneris societatem a tuis propinquis labefactatam: qui cum tu a me rebus amplissimis atq; honorificentissimis ornatus es-

ses, timuissent, ne qua mihi pars abs te uoluntatis mutuae tribueretur. Hoc in sermone, cum a me exponeretur, quæ mea expectatio fuisset orationis tuæ, quantoq; in mœrore uersatus esses: uisa est oratio non inuicunda, & mediocris quidem est risus consecutus, non in te, sed magis in mœrorem meum, & quod me abs te cupissem laudari, aperte atq; ingenue confitebar. Iam hoc non potest in te non honorifice esse dictum, me in clarissimis meis atq; amplissimis rebus tamen aliquod testimonium tuæ uocis habere uoluisset. Quod autem ita scribis, pro mutuo inter nos animo, quid tu existimes esse in amicitia mutuū, nescio: equidem hoc arbitror, cum par uoluntas accipitur & red datur. Ego si hoc dicam, me tua causa prætermis sisse prouinciam, tibi ipse leuior uidear esse: meæ enumerationes ita tulerunt: atq; eius mei consilij maiorem in dies singulos, fructum, uoluptatemq; capio. Illud dico, me ut primum in concione prouinciam deposuerim, statim, quemadmodum eam tibi traderem, commigitare cœpisse. Nihil dico de sortitione uestra, tantum te suspicari uolo, nihil in ea re per collegam meum me insciente esse factum. Recordare cætera: quam cito senatum illo die facta sortitione cœgerim: quam multa de te uerba fecerim, cum tu ipse mihi dixisti, orationem meam non solum in te honorificam, sed etiam in collegas tuas contumeliosam fuisse. Iam illud senatus consultum, quod eo die factum est, ea per scriptione est, ut dum id extabit, officium meum in te oboscure esse non possit. Postea uero quam profectus es, uelim recordere, quæ ego de te in senatu egerim, quæ in concionibus dixerim, quas ad te literas miserim.

Quæ

Quæ cum omnia collegeris, tu ipse uelim iudices, scilicet uideatur his omnibus rebus tuus aduentus, cum proxime Romam uenisti, mutuo respondisse. Quod scribis de reconciliata nostra gratia, non intelligo, cur reconciliatam esse dicas, quæ nunquam immutata est. Quod scribis, non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum a me oppugnari: primum hoc uelim existimes, animum mihi istum tuum uehementer probari, & fraternam plenam humanitatis ac pietatis uoluntatem: deinde, si qua ego in re fratri tuo Reipublicæ causâ restiterim, peto ut mihi ignoscas: tam enim sum amicus Reipub. quam qui maxime. Si uero meam salutem contra illius impetum in me crudelissimum defenderim: satis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris iniuria conqueri. Quem ego cum comperissem omnem sui tribunatus conatum in meam perniciem parare, atq; meditari: egi cum Claudia uxore tua, & cum uestra sorore Mutia, cuius erga me studium pro Cn. Pompeij necessitudine, multis in rebus perspexeram, ut cum ab illa iniuria detraberent. Atque ille, quod te audisse credo, pridie Calend. Ianuar. qua iniuria nemo unquam in aliquo magistratu improbisimus ciuis affectus est, ea me Consulem affectum, cum Rempub. conseruassem, atq; abeuntem magistratu, concionis habendæ potestate priuauit, cuius iniuria mihi tamen honori summo fuit. Nam cum ille mihi nihil, nisi ut iurare, permetteret: magna uoce iuravi uerissimum pulcerrimumq; iusurandum: quod populus, idem magna uoce me uere iurasse, iurauit. Hac accepta tam insigni iniuria, tamen illo ipso die nisi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum,

eo, ut ab alia mente desisteret: quibus ille respondit, sibi non esse integrum: etenim paulo ante in concione dixerat ei, qui in alios animaduertisset indicta causa, dicendi ipsi potestatem fieri non oportere. *Homini nem grauem & ciuem egregium, qui qua pœna senatus, consensu bonorum omnium, eos affecerat: qui urbem incendere, magistratus ac senatum trucidare, bellum maximum constare uoluissent, eadem dignum iudicaret cum, qui curiam cæde, urbem incendijs, Italiam bello liberasset. Itaq; ego Metello fratri tuo prestiti restiti. Nam in senatu Calend. Ianuar. sic cum eo de Republica disputauimus, ut sentiret sibi cum uiro forti & constanti esse pugnandum. Ad tertiam Nonas Ianuarias, cum agere cœpisset, tertio quoque uerbo orationis suæ me appellabat, mihi minabatur, neq; illi quicquam deliberatius fuit, quam me, quacumq; ratione posset, non iudicio, neq; disceptatione, sed ui atq; impressione euertere. Huius ego temeritati si uirtute atque animo non restitissem: quis esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse? Hæc si Metellum cogitari de me nescisti, debes existimare te maximis de rebus a fratre esse calatum, sin aliquid impertiuit tibi sui consilij, lenis a te & facilis existimari debeo, qui nihil tecum de his ipsis rebus expostulem. Et si intelliges non me dicto Metelli, ut scribis, sed consilio eius, animoq; in me inuicissimum esse commotum: cognosce nunc humanitatem meam, si humanitas appellanda est, in acerbissima iniuria remissio animi ac dissolutio. Nulla est a me unquam sententia dicta in fratrem tuum, quotiescunque aliquid est actum, sedens ijs assensi, qui mihi lenis*
fuit

sine sentire uisi sunt. Addam illud etiam, quod iam ego curare non debui, sed tamen fieri non moleste tui, atq; etiam, ut ita fieret, pro mea parte adiui, ut senatus consulto meus inimicus, quia tuus frater erat, subleuaretur. Quare non ego oppugnaui fratrem tuum, sed fratri tuo repugnaui: nec in te ut scribis, animo fui mobili, sed ita stabili, ut in mea erga te uoluntate, etiam desertus ab officijs tuis permanerem. Atq; hoc ipso tempore, tibi pene munitanti nobis per literas, hoc rescribo atq; respondeo. Ego dolori tuo non solum ignosco, sed summam etiam laudem tribuo: meus enim me sensus, quanta uis fraterni sit amoris, admonet. A te peto, ut tu quoq; æquum te iudicem dolori meo præbeas: si acerbe, si crudeliter, si sine causa sum a tuis oppugnatus, ut statuas mihi non modo non cedendum, sed etiam tuo, atq; exercitus tui auxilio, in eiusmodi causa utendum fuisse. Ego te mihi semper amicum esse uolui: me ut tibi amicissimum intelligeres, laboraui: maneo in uoluntate, & quoad uoles tu, permanebo: citiusq; amore tui fratrem tuum odisse definam, quam illius odio quicquam de nostra beneuolentia detrahatur. Vale.

Q. METELLVS NEPOS

S. D. M. C.

60

3

Hominis importunissimi contumeliæ, quib. crebris concionibus me onerat: tuis erga me officijs leniuntur: & ut sunt leues eiusmodi homines, a me despiciuntur, libenterq; commutata persona, te mihi fratris loco esse duco: de illo ne meminisse quidem uolo, tamen si bis cum inuitum seruaui. De me
H 4 meisq;

meisq; rebus, ne uobis multitudine literarum molestior essem, ad Lælium perscripsi: de rationibus etiam provinciae quid uellem fieri, ut is uos doceret & com-
moneficeret. Si poteris, uelim pristinam tuam erga me uoluntatem conserues.

M. T. C. S. D. Q. METELLO

61

NEPOTI PROCONS.

†

Literæ Q. fratris, & T. Pompeij necessarij mei tantum mihi spei dederant, ut in te non minus auxilij, quam in tuo collega mihi constitutum fuerit. Itaq; ad te literas statim misi, per quas, ut fortuna postulabat, & gratias tibi egi, & de reliquo tempore auxilium petij. Postea mihi non tam meorum literæ, quam sermones eorum, qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum significabant: quæ res fecit, ut tibi literis obstrepere non auderem. Nunc mihi Quintus frater meus mitissimam tuam orationem, quam in senatu habuisses, perscripsit, qua inductus, ad te scribere sum coactus: & abs te, quantum tua fert uoluntas, peto, quæsoq; ut tu me conserues potius, quam propter arrogantem crudelitatem tuorū me oppugnes. Tu, tuas inimicitias ut Reipub. donares, te uicisti, alienas ut contra Rempublicam confirmes, adducaris? Quod si mihi tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo. Sin mihi neq; magistratum, neq; senatum, neq; populum auxiliari propter eam uim, quæ me cum Republica uicit, licuerit: uide, ne, cum uelis reuocare tempus omnium conseruandorum, cum qui seruetur, non eris non possis. Vale.

M. T.

M. T. C. S. D. C. ANTONIO M.
FILIO IMPERATORI.

62

ET si statueram nullas ad te literas mittere, nisi commendaticias, non quod eas intelligerem satis apud te ualere, sed ne ijs, qui me rogarēt, aliquid de nostra coniunctione imminutum esse ostenderem: tamen cum T. Pomponius homo omnium meorum in te studiorum & officiorum maxime conscius, tui cupidus, nostri amātissimus, ad te proficisceretur, aliquid mihi scribendum putavi: præsertim cum aliter ipsi Pomponio satisfacere non possem. Ego si abs te summa officia desiderē, mirū nemini uideri debet: omnia enim & me in te profecta sunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent. Pro ijs rebus nullam mihi abs te relatum esse gratiam, tu es optimus testis. Contra etiam esse aliquid abs te profectum, ex multis audiui: nam comperisse me, ut audio dicere, ne forte id ipsum uerbum, ponam, quod abs te aiunt falso in me solere conferri. Sed ea, quæ ad me delata sunt, malo te ex Pomponio, cui non minus molesta fuerunt, quam ex meis literis cognoscere. Meus in te animus quam singulari officio fuerit, & senatus & populus Romanus testis est. Tu quam gratus erga me fueris, ipse existimare potes: quantum mihi debeas, cæteri existimēt. Ego quæ tua causa antea feci, uoluntate sum adductus, posteaque constantia. Sed reliqua, mihi crede, multo maius meū studium: maioremque grauitatem, & laborem desiderant. Quæ ego si non profundere ac perdere uidebor, omnibus meis uiribus sustinebo: sin ingrata esse sentiam, non committam, ut tibi ipse insanire uidear.

H 5

Ba

Ea quæ sint, & cuiusmodi, poteris ex Pomponio cognoscere, atq; ipsum tibi Pomponium ita commendo, ut quanquam ipsius causa confido te facturum esse omnia: tamen abs te hoc petam, ut si quid residet in te amoris erga me, id omne in Pomponij negotio constendas. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

M. C. S. P. D. SEXTILIO L. F.
63 PROCONSVLI.

Cum ad me Decius librarius uenisset, egissetq; mecum, ut operam darem, ne tibi hoc tempore succederetur: quanquam illum hominem frugi, et tibi amicum existimabam, tamen quod memoria tenebam, cuiusmodi ad me literas antea misisses, non satis credidi homini prudenti, tam ualde esse mutatam uoluntatem tuam, Sed posteaquam & Cornelia tua Terentiam conuenit, & ego cum Qu. Cornelio locutus sum: adhibui diligentiam, quotiescunq; senatus fuit, ut adesset: plurimumq; in eo negotij habui, ut Qu. Eustium Tribunum plebis, & cæteros, ad quos tu scripseras, cogerem mihi potius credere, quam tuis literis. Omnis res tota in mensem Ianuarium reiecta erat, sed facile obtinebatur. Ego tua gratulatione commotus, quod ad me pridem scripseras, uelle te bene euenire, quod de Crasso domum emissem: mihi eam ipsam domum millibus nummum XXXV. aliquanto post tuam gratulationem. Itaque nunc me scito tantum habere æris alieni, ut cupiam coniurare, si quis me recipiat: sed partim odio inducti me excludunt, & aperte uini dicem coniurationis oderunt: partim non credunt, & a me insidias metuunt, nec putant ei nummos deesse.

esse posse, qui ex obsidione fœneratores exemerit. Homini semipsis magna copia est: ego autem meis rebus gestis hoc sum assecutus, ut bonum nomen adeptus existerem. Domum tuam atq; ædificationem omnem per spexi, & uehementer probaui. Antonium, etsi eius in me officia omnes desiderant, tamen in senatu grauisime ac diligentissime defendi, senatumq; uehementer oratione mea atq; autoritate commoui. Tu ad me uelim literas crebrius mittas.

M. T. M. FILIUS CICERO, S. D.
CN. POMPEIO CN. F. MA-
GNO IMPERATORI. 64

Situ exercitusq; ualetis, bene est. Ex literis tuis, quas publice misisti, cepi uia cum omnibus incredibilem uoluptatem: tantam enim spem ocij ostendisti, quantam ego semper omnibus, te uno fretus, pollicebar. Sed hoc scito, tuos ueteres hostes, nouos amicos, uehementer literis percussos, atq; ex magna spe deturbatos iacere. Ad me autem literas quas misisti, quamquam exiguam significationem tuæ erga me uoluntatis habebant, tamen mihi scito incundas fuisset nulla enim re tam lætari soleo, quam meorum officiorum conscientia: quibus si quando non mutuo respondetur, apud me plus officij residere facillime patior. Illud non dubito, quin si de mea summa erga te studia parum mihi adiunxerunt, Respub. nos inter nos conciliatura coniuncturaq; sit. Ac ne ignores, quid ego in tuis literis desiderarim, scribam aperte, sicut & mea natura & nostra amicitia postulat. Res eas gestis, quarum aliquam in tuis literis & nostræ necessitudinis,

dinis, & Reipub. causa gratulationem expectavi, quam ego abs te prætermisam esse arbitror, quod uerebare, ne cuius animum offenderes. Sed scito ea, quæ nos pro salute patriæ gessimus, orbis terræ iudicio ac testimonio comprobari. Quæ, cum ueneris, tanto consilio, tantaq; animi magnitudine a me gesta esse cognosces, ut tibi multo maiori, quam Apbrianus facit, me non multo minorem quam Lælius, facile & in Re publica & in amicitia adiunctum esse patiari. Vale.

M. T. C. M. LICINIO P. FILIO
65 CRASSO S. D.

Quantū meum studium extiterit dignitati tue uel tuendæ uel etiam augendæ, non dubito, quin ad te omnes tui perscripserint. Non enim fui aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi, quod silentio posset præteriri. Nam & cum consulibus & cum multis consularibus tanta cōtentione decertavi, quanta nunquam antea ulla in causa: suscepique mihi perper tuam propugnationem pro omnibus ornamentis tui ueterique nostræ necessitudini iamdiu debitum, sed multa uarietate temporum interruptum officium cumulate reddidi. Neque mehercule unquam mihi tu, aut colendi, aut ornandi uoluntas defuit: sed quædam pestes hominum laude aliena dolentium, & te non minus quam a me alienarunt, & me aliquando immutarunt tibi. Sed exiit tempus optatum mihi magis, quàm speratum, ut florentissimis tuis rebus, mea perspicere posset & memoria nostræ uoluntatis et amicitiae fides. Sum enim consecutus nō modo ut domus tua tota, sed

et constita ciuitas me tibi amicissimum esse cognosce-
ret. Itaq; & praestantissima omnium foeminarum
uox tua, & eximia pietate, uirtute, gratia tui Cras-
sae consilijs, monitis, studijs, actionibusq; nitun-
tur, & senatus, populusq; Romanus, intelligit, tibi ab-
senti nihil esse tam promium, aut tam paratum, quam
in omnibus rebus, quae ad te pertineant, operam, cu-
ram, diligentiam, auctoritatem meam. Quae sint acta,
quaeq; agantur, domesticorum tibi literis declarari
poto. De me sic existimes, ac tibi persuadeas uehe-
menter uelim, non me repentina aliqua uoluntate,
aut fortuito ad tuam ampliudinem meis officijs ama-
plissendam incidisse: sed, ut primum forum attige-
rim, spectasse semper, ut tibi possem quam maxime
esse coniunctus, quo quidem ex tempore, memoria tea-
neo, neq; meam tibi obseruantiam, neque mihi tuam
summam beneuolentiam, ac liberalitatem defuisse. Si
qua intercederunt non tam re, quam suspitione uio-
lenta, ea cum fuerint & falsa & inania, sint euulsa
ex omni memoria uitaeq; nostra. Is enim tu uir es, &
eum me esse cupio, ut quoniam in eadem Reipublicae
tempora incidimus, coniunctionem, amicitiamq; no-
strum utriq; nostrum laudi sperem fore. Quamobrem
tu quantum tuo iudicio tribuendum nobis esse putes,
statues ipse: & ut spero, statues ex nostra dignitate.
Ego uero tibi profiteor atq; polliceor eximium, &
singulare meum studium in omni genere officij, quod
ad honestatem & gloriam tuam spectet, in quo, et-
iam si multi mecum contendunt, tamen cum reliquis
omnibus, tum Crassae tuis iudicibus, omnibus facile supe-
rabo, quos quidem ego ambos unice diligo, sed in Mar-

to beneuolentia impari, hoc magis sum Publio dedi-
tus, quod me, quanquam a pueritia sua semper, tamen
hoc tempore maxime, sicut alterum parentem & ob-
seruat & diligit. Has literas uelim existimes fœderis
habituras esse uim, non epistolæ: meque ea, quæ tibi
promitto ac recipio, sanctissime esse obseruaturum,
diligentissimeq; facturum. Quæ a me suscepta defec-
tio est, te absente, dignitatis tuæ, in ea iam ego, non
solum amicitie nostræ, sed etiā constantiæ meæ cau-
sa permanebo. Quamobrem satis esse hoc tempore
arbitratus sum, hæc ad te scribere: me si quid ipse in-
telligerem aut ad uoluntatem, aut ad commodum, aut
ad amplitudinem tuam pertinere, mea sponte id esse
facturum: sin autem quippiam aut a te essem admo-
tus, aut tuis, effecturum, ut intelligeres, nihil neque te
scripsisse, neq; quenquam tuorum ad me frustra detu-
lisse. Quamobrem uelim ita & ipse ad me scribas in
omnibus minimis, maximis, mediocribusq; rebus, ut
ad hominem amicissimum: & tuis præcipias, ut opo-
ra, consilio, autoritate, gratia mea sic utantur in cau-
sibus publicis, priuatis, forensibus, domesticis tuis, ami-
corum, hospitum, clientum tuorum negocijs, ut quod
eius fieri possit, præsentia tuæ desiderium meo labo-
re minuat. Vale.

VATINIUS IMPERATOR CL
CERONI SVO, S.

Suales, bene est, ego ualeo. si tuam consuetudi-
nem in patrocinijs tuendis seruas, P. Vatinius di-
cens ad te uenit, qui pro se causam dicier uult. Non
to repudiabis in honore, quem in periculo recepisti.

Ego autem quem potius adoptem, aut inuocem, quam illum, quo defendente uincere didici? Aut uerear, ne qui potentissimorum hominum conspirationem neglexerit pro mea salute, is pro honore meo, pusillorum ac maleuolorum obreccationes & inuidias non proseruat atque obterat? Quare si me, sicut soles, amas, suscipe me totum, atque hoc quicquid est oneris, ac muneris pro mea dignitate tibi tuendum ac sustinendum puta. Scis meam fortunam, nescio quo modo facile obreccatores inuenire, non modo quidem mehercule merito: sed quanti id refert, si tamen fato nescio quo accidit: Si quis forte fuerit, qui nostrae dignitati obesse uelit, peto a te, ut tuam consuetudinem & liberalitatem in me absente defendendo mihi praestes. Literas ad senatum nostris de rebus gestis quo exemplo miseram, infra tibi perscripsi. Dicitur mihi tuus seruus Anagnostes fugitiuus Vardaci esse: de quo tu mihi nihil mandasti. Ego tamen, terra marique ut conquiretur, praemandavi, & profecto tibi illum reperiam, nisi in Dalmatiam aufugerit, & inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale. Ad tertium Idus Quintileis ex castris, Narona.

VATINIUS CICERONI

SVO S. D.

67

Stuales, bene est, ego quidem ualeo. De Dionysio tuo adhuc nihil extrico, & eo minus, quod me frigus Dalmaticum, quod illinc ciecit, etiam hic refriegerauit. Sed tamen non desistam, quin illum aliquando eruam. Sed tamen omnia mihi dura imperas. De Cutilio nescio quid ad me scripsisti deprecationis diligens

gentissime. Apage te cum nostro Sexto Seruilio: nam mehercule ego illum quoque amo, sed huiusmodi uos clientes, huiusmodi causas recipitis? hominem unum omnium crudelissimum, qui tot ingenuas matres famulas stuprauit, tot ciues Romanos occidit, arripuit, disperdidit, regiones uastauit? Simul uero semisis homo contra me arma tulit, & eum bello cepi. Sed tu men mi Cicero quid facere possum? Omnia mehercule cupio, quæ tu mihi imperas. Meam animaduersionem & supplicium, quo usurus eram in eum, quem cepissem, remitto tibi & condono. Quid illis respondere possum, qui sua bona direpta, naueis expugnatas, fratres, liberos, parenteis occisos, actione exposulant? si mehercule Appij os haberem, in cuius locum suffectus sum, tamen hoc sustinere non possem. Quid ergo est? Faciam omnia sedulo, quæ te sciam uelle. Defenditur a Qu. Volusio tuo discipulo, si forte ea res poterit aduersarios fugere, in eo maxime spes est. Nos si quid erit isthic opus, defendes. Cæsar adhuc mihi iniuriam facit: de meis supplicationibus, & rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert: quasi uero non iustissimi triumphi in Dalmatia res gesserim. Nam si hoc existimandum sit, dum totum bellum conficiam, uiginti oppida sunt Dalmatiæ antiqua, quæ ipsa sibi ascuerunt amplius sexaginta, hæc nisi omnia expugno, si mihi supplicationes non decernuntur, longe alia conditione ego sum, ac cæteri imperatores. Ego post supplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus sum: sex oppida ui oppugnando cepi, unum hoc quod erat maximum, quater a me iam captum quatuor enim turreis, & quatuor muros cepi, & ar-

corum totam ex qua me niues, frigora, imbres,
deruserunt, indigneq; mi Cicero oppidum captum et
bellum confectum relinquere sum coactus. Quare
te rogo, si opus erit, ad Cæsarem meam causam
agas, meq; tibi in omneis parteis defendendum putes,
hoc existimans, neminem te tui amantiorem habere.
Vale. Nonis Decembribus Narona.

M. C. P. VATINIO IMPE-
RATORI S. D.

68

G Rata tibi esse officia mea non miror: cognoui
enim te gratissimum omnium, idq; nunquam de-
fui prædicare. Nec enim tu mihi gratiam modo ha-
buisti, uerum etiam cumulatisime reuulisti. Quamob-
rem reliquis tuis rebus omnibus, pari me studio erga
te, & eadem uoluntate cognosces. Quod mihi fami-
nam primariam Pompeiam uxorem tuam commen-
das, cum Sura nostro statim tuis literis lectis locutus
sum, ut ei meis uerbis diceret, ut quicquid opus esset,
mihi denunciaret, me omnia, quæ ea uellet, summo stu-
dio, curaq; facturum: itaq; faciã, eamq; si opus esse ui-
debitur, ipse conueniam. Tu tamen ei uelim scribas, ut
nullã rem neq; tam magnam, neq; tam paruum putet,
quæ mihi aut difficilis, aut parum me digna uideatur.
Omnia quæ in tuis reb. agam, & non laboriosa mihi,
& honesta uidebuntur. De Dionysio, si me amas, con-
fide, quamcumq; ei fidem dederis, præstabo. Si uero im-
probis fuerit, ut est, duces eũ captiuum in triumpho.
Dalmatis Dij male faciant, qui tibi molesti sunt. Sed
ui scribis, breui capientur, & illustrabunt res tuas
gestas: semper enim habiti sunt bellicosissimi. Vale.

I

M. C.

Coram me tecum eadem hæc agere sæpe cona-
tem, deterruit pudor quidam pene subrusticus,
quæ nunc exponā absens audacius: epistola enim non
erubescit. Ardeo cupiditati incredibili, neque ut ego
arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptum
illustretur & celebretur tuis, quod etsi mihi sæpe co-
stendis te esse facturum: tamen ignoscas uelim huic fi-
sinationi meæ. Genus enim scriptorum tuorum es-
erat semper a me uehementer expectatum, tamen ui-
cit opinionem meam, neq; ita uel cepit uel incendit,
ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis
commendari tuis. Non enim me solum commemoras-
tio posteritatis ad spem quandam immortalitatis ro-
pit, sed etiam illa cupiditas, ut uel autoritate testimo-
nij tui, uel indicio beneuolentiæ, uel suauitate ingenij
uiui perfruemur. Neq; tamen, hæc cum scribebam, co-
ram nescius quantis oneribus premerere susceptarum
rerum & iam institutarum, sed quia uidebam Italici
belli & ciuili historiam iam pene esse a te perfectam,
dixeras autem mihi te reliquas res ordiri: deesse mihi
nolui, quin te admonerem, ut cogitares, coniuncte
malles cum cæteris rebus nostra contexere, an; ut
multi Græci fecerunt, Callisthenes Troicum bellum,
Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes
a perpetuis suis historijs, ea quæ dixi bella, separa-
runt: tu quoq; item ciuilem coniurationem ab hosti-
bus externisq; bellis seiungeres. Equidem ad nostram
laudem non multum uideo interesse: sed ad prosperati-
onem meam quiddam interest, non te expectare dum

ad locum uenias, ac statim causam illam totam, & tempus arripere. Et simul si uno in argumento, unaq; in persona mens tua tota uersabitur: cerno iam animo, quanto omnia uberiora atque ornatiores futura sint. Neq; tamen ignoro, quam imprudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponā (potest enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut ornes me, postulem: quid si illa tibi non tantopere uidentur ornanda? Sed tamen, qui semel uerecundiae fidei transierit, cum bene & gnauiter oportet esse impudentem. Itaq; te plane etiam atq; etiam rogo, ut ornes ea uehementius etiam quam fortasse sentis, & in eo leges historiae negligas: gratiamq; illam, de qua suauissime quodam in prooemio scripisti, a qua te affici non magis potuisse demonstras, quam Herculem Xenophontem illum a uoluptate: ea si me tibi uehementius commendabit, ne aspernere, amoriq; nostro plusculum etiam, quam concedit ueritas, largiari. Quod si te adducemus, ut hoc suscipias, erit (ut mihi persuadeo) materies digna facultate & copia tua. A principio enim coniurationis usque ad reditum nostrum, uidetur mihi modicum quoddam corpus confici posse, in quo & illa poteris uti ciuiliu commutationum scientia, uel in explicandis causis rerum nouarum, uel in remedijs incommodorum, cum & reprehendes ea, quae uituperanda duces, & quae placebunt exponendis rationibus comprobabis, & si liberior ut consueuisti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, prodicionem notabis. Multam etiam casus nostri tibi uarietatem in scribendo suppetitabunt, plenam cuiusdam uoluptatis, quae uehementius

menter animos hominum in legendo scripto retinere possit. Nihil enim est aptius ad delectationem lectoris, quam temporum uarietates fortunæq; uicissitudines: quæ etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundæ. HABBT ENIM PRÆTERITI doloris secunda recordatio delectationem. Cæteris uero nulla perfunctus propria molestia, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda. Quæ enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, posteaquam ei percontanti dictum est, clypeum esse saluum, ut etiam in uulneris dolore æquo animo cum laude moreretur. Cuius studium in legendo non erectum Themistoclis fuga redituq; retinetur? Etenim ordo ipse annalium, mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastidorum. At uiri sæpe excellentis ancipites uariq; casus habent admirationem, expectationem, læticiam, molestiam, spem, timorem, si uero exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissimæ lectionis uoluptate. Quod mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut a continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum euentorumq; nostrorum. Habet enim uarios actus, multasq; actiones & consiliorum & temporum. Ac non uereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam uidear, cum hoc demonstrarem, me a te potissimum ornari, celebrariq; uelle. Neq; enim tu is es, qui, qui sis, nescias: & qui non eos magis, qui te non admirentur, in

uides

vidos, quam eos, qui laudent, assentatores arbitrare.
Neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternæ
gloriæ per eum commendari uelim, qui non ipso quo-
que in me commendando propriam ingenij gloriam
consequatur. Nec enim Alexander ille, gratiæ causæ
a Apelle potissimum pingi, & Lysippo fingi
uolebat: sed quod illorum artem cum ipsis, tum etiam
sibi gloriæ fore putabat. Atque illi artifices, corporis
simulacra ignotis nota faciebant, quæ uel si nulla sint,
nihil sunt tamen obscuriores clari uiri. Neque minus
enim est Spartiatus Agesilaus ille perhibendus, qui ne-
que pictam neque fictam imaginem suam passus est es-
se, quam qui in eo genere laborarunt: unus enim Xe-
mophonis libellus in eo rege laudando facile omnes
imagines hominum, statuasque superauit. Atque hoc
prestantius mihi fuerit, & ad læticiam animi, & ad
memoriæ dignitatem, si in tua scripta perucnero, quā
si in caterorum: quod non ingenium mihi solum sup-
peditatum fuerit tuum, sicut Timoleonti a Timæo,
aut ab Herodoto Themistocli, sed etiam autoritas
clarissimi, & spectatissimi uiri, et in Republica maxi-
mis grauissimisque causis cogniti, atque in primis pro-
bati: ut mihi non solum præconium, quod cum in Si-
ciliam uenisset Alexander, ab Homero Achilli tributum
esse dixit: sed etiam graue testimonium impertitum
clari hominis magnique uideatur. Placet enim He-
ctor ille mihi Nauianus, qui non tantum laudari se læ-
uatur: sed addit etiam, a laudato uiro. Quod si a te
non impetro, hoc est, si qua te res impedierit (neque
enim fas esse arbitror quicquam me rogantem abs te
non impetrare) cogor fortasse facere, quod nonnulli

sæpe reprobant : scribam ipse de me, multorum
 men exemplo & clarorum uirorum. Sed quod te non
 fugit, hæc sunt in hoc genere uicia: et ut uerecundius
 ipsi de se scribant, necesse est, si quid est laudandum,
 & prætereant, si quid reprehendendum est. Accedit
 etiam ut minor sit fides, minor autoritas, multi denique
 reprehendant, & dicant, uerecundiores esse præcones
 ludorum gymnycorum, qui cum cæteris coronas
 imposuerint uictoribus, eorumque nomina magna uoce
 pronunciauerint, cum ipsi ante ludorum missionem corona
 donentur, alium præconem adhibeant, ne sua uoce
 ipsi se uictores esse prædicent. Hæc nos uitare cupimus,
 & si recipis causam nostram, uitabimus: idque
 ut facias rogamus. Ac ne forte mirere, cur cum mihi
 sæpe ostenderis, te accuratissime nostrorum temporum
 consilia atque euentus literis mandaturum, a te id non
 tantopere et tam multis uerbis petamus: illa nos cupi-
 ditas incendit, de quo initio scripsi festinationis, quod
 alacres animo sumus, ut et cæteri uiuentibus nobis ex
 libris tuis cognoscant, & nosmetipsi uini gloria
 nostra persuamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi
 non est molestum, rescribas mihi uelim. Si enim susci-
 pias causam, conficiam commentarios rerum omnium.
 Sin autem differs me in tempus aliud, coram te
 cum loquar: tu interea non cessabis, & ea, quæ habes
 instituta, per polles, nosque diliges. Vale.

M. C. S. D. L. LVCEIO

Q. FILIO.

70

Quanquam ipsa consolatio literarum tuarum mihi
 gratissima est: declarat enim summam bene-

nemo

involentiam coniunctam pari prudentia: tamen illum
fructum ex tuis literis uel maximū cepi, quod te præ
clare res humanas contemnentem, & optime contra
fortunam paratum, armatumq; cognoui. Quam qui
dem laudem sapientiæ statuo esse maximam, non aliam
de pendere, nec extrinsecus aut bene aut male uiuen
di suspensas habere rationes. Quæ cogitatio, cum
mibi non omnino excidisset (etenim penitus in sede
rat) ui tamen tempestatum & concursu calamitatu
erat aliquantulum labefactata atque conuulsa: cui te
opitulari & uideo, & id fecisse etiam proximis lite
ris, multumq; profecisse sentio. Itaq; hoc sæpius dicen
dum, tibiq; non significandum solum, sed etiam decla
randum arbitror, Nihil mihi esse potuisse tuis literis
gratius. Ad cōsolandum autem cum illa ualeant, quæ
elegantè copioseq; collegisti, tamen nihil plus, quam
quod firmitudinem grauitatemq; animi tui perspexi:
quam non imitari turpissimum existimo. Itaq; etiam
hoc fortiorem me puto, quam te ipsum præceptorem
fortitudinis, quod tu mihi uidere spem nonnullam ha
bere, hæc aliquando futura meliora. Casus enim gla
diatorij, similitudinesq; eæ, tum rationes in ea dispu
tatione a te collectæ, uetabant me Reipublicæ peni
tus diffidere. Itaq; alterum minus mirum, fortiorem
te esse, cum aliquid speres: alterum magis mirum, spe
ulla teneri. Quid est enim non ita affectum, ut id non
deletum extinctumq; omne esse fāteare? Circumspice
omnia membra Reipub. quæ notissima sunt tibi, nul
lum reperies profecto, quod non fractum debilita
tumue sit: quæ persequerer, si aut melius ea uiderem
quam tu uides, aut commemorare possem sine dolo

rei: quanquam tuis monitis præceptisq; omnis est ab-
ciendus dolor. Ergo & domestica feremus, ut censes,
& publica paulo etiam fortius fortasse, quã tu ipse
qui præcipis. Te enim spes aliqua consolatur, ut scri-
bis: nos autem erimus etiam in omni desperatione for-
tes, ut tamen idem & hortaris & præcipis. Da-
enim mihi iucundas recordationes conscientia no-
stra, rerumq; earum, quas te in primis autore gesti-
mus. Præstitimus enim patriæ non minus certe, quam
debuimus, plus profecto quam est ab animo cuiusquã,
aut consilio hominis postulatum. Ignosces mihi de me
ipso aliquid prædicanti: quarum enim tu rerum cogi-
tatione nos leuare ægritudine uoluisti, earum etiam
commemoratione lenimur. Itaq; ut omnes, quantum
potero, me ab omnibus molestiis & angoribus abdu-
cam, transferamq; animum ad ea, quibus secundæ re-
ornantur, aduersæ adiuuantur, tecum & ero ien-
tum, quantum patietur utriusq; ætas & ualitudo: &
si esse una minus poterimus, quam uolumus: animorum
tamen coniunctione iisdem studiis ita fruemur, ut non
quam non una esse uideamur. Vale.

L. LVCEIVS Q. FILIVS S. D.

71

M. T. C. FILIO.

Si uales, bene est, ego ualeo, sicut soleo, paulo ta-
men etiam deterius, quam soleo. Te requisivi sa-
pius, ut uiderem. Romæ quia postea non fuisti, quam
a me discesseras, miratus sum, quod item nunc miror.
Non habeo certum, quã te res hinc maxime retra-
hat, si solitudine delectare, cum scribas, & aliquid
agis eorum, quorum consueuisti, gaudeo, neq; repres-
bendo

bendo tuum consilium : nam nihil isto potest esse iu-
 uenilius, non modo miseris his temporibus & luctuo-
 sis, sed etiam tranquillis & optatis, præsertim uel a-
 nimis defatigato tuo, qui nunc requiem quærit ex ma-
 gnis occupationibus, uel erudito, qui semper aliquid
 ex se promat, quod alios delectet, te ipsum laudibus
 illustret : sin, sicut hic dum eras, & lacrimis ac tristi-
 tiæ te tradisti, doleo, quia doles & angere : nec pos-
 sum te, si concedis, quod sentimus, ut liberius dicam,
 non accusare. Quid enim? tu solus aperta non uidebis,
 qui propter acumen occultissima perspicis? tu non in-
 telliges te querelis quotidianis nihil proficere? non
 intelliges duplicari sollicitudines, quas eleuare tua te
 prudentia postulat? Quod si non possumus aliquid pro-
 ficere suadendo, gratia contendimus, & rogando, si
 quid nostra causa uis, ut istis te molestiis laxes, & ad
 conuiuium nostrum redeas, & ad consuetudinem, uel
 nostram communem, uel tuam solius ac propriam. Cu-
 pio non obtundere te, si non delectare nostro studio :
 cupio detertere, ne permaneas in incepto, cum duc-
 res istæ contrariæ me conturbent, ex quibus aut in
 altera mihi uelim, si potes, obtemperes, aut in altera
 non offenderis. Vale.

M. CICERO L. LVCEIO S. 72

Omnis amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his literis, quas a te proxime accepi, non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus & optatus, dicerem iucundus, nisi id uerbum in omne tempus perdidissem. Neque ob eam unam causam, quam tu susciparis, & in qua me lenissimis & amanti-
 I 5 bis

bis utens, re grauitè accusas: sed quod illius tanti
uulneris, quæ remedia esse debebāt, ea nulla sunt. Qui
enim? ad amicosne confugiam? quam multi sunt? ha-
buimus enim frē communis, quorum alij occiderunt,
alij nescio quo pacto obduruerunt. Tecum uiuere pos-
se equidem maxime uellem: uetustus est amor, consue-
tudo, studia paria: quod uinculum, quæ res deest nos-
stræ coniunctioni? Possumusne igitur esse una? nec
mehercule intelligo, quid impediat, sed certe adhuc
non fuimus, cum essemus uicini in Tusculano, in Puteo-
lano. Nam quid dicam in urbe? in qua, cum forum
commune sit, uicinitas non requiritur. Sed casu nescio
quo in ea tempora nostra ætas incidit, ut cum maxime
florere nos oporteret, tum uiuere etiam pueret.
Quidenim poterat mihi esse perfugium spoliato &
domesticis & forensibus ornamentis atq; solatijs? li-
teræ credo, quibus utor assidue. Quid enim aliud fa-
cere possum? sed nescio quomodo ipsæ illæ excludere
me a portu & perfugio uidentur, et quasi exprobra-
re quod in ea uita maneam, in qua nihil inest, nisi pro-
pagatio miserrimi temporis. Hic tu ea me abesse urbe
miraris, in qua domus nihil delectari possit, summum
sit odium temporis, hominum, fori, curiæ? Itaq; sic li-
teris utor, in quib. consumo omne tempus, non ut ab-
his medicinam perpetuam, sed ut exiguā doloris obli-
uionem petam. Quod si id egissemus ego atq; tu, quod
ne in mentē quidem nobis ueniebat propter quotidianum
nos metus, omne tempus una fuisset: neq; me ualere
do tua offenderet, neque te mæror meus: quod quan-
tum fieri poterit, consequamur. Quid enim utriq; no-
strum aptius? Propediem igitur te uidebo. Vale.

M. T.

ET si unus ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus, quod tantum ex tuis molestis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen cum longius a summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quam tuus, statui nostræ necessitudinis esse, meque in te benivolentiæ, non tacere tanto in tuo dolore tamdiu: sed adhibere aliquam modicam consolationem, quæ leuare dolorem tuum posset, si mihi sanare potuisset. Est autem consolatio peruiulgata quidem illa maxime, quam semper in ore atque in animo habere debemus, HOMINES nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunæ proposita sit uita nostra, neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, conditione uiuamus, Neque tam grauitur eos casus feramus, quos nullo consilio uitare possumus, euentusque aliorum memoria repetendis nihil accidisse nobis noui cogitemus. Neque hæc, neque cæteræ consolationes, quæ sunt a sapientissimis uiris usurpatæ, memoriæque et literis proditæ, tantum uidentur proficere debere, quantum status ipse nostræ ciuitatis, et hæc perturbatio temporum perditorum: cum beatissimi sint, qui liberos non susceperunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona aut denique aliqua Republica perdidissent. Quod si tuum te desiderium mouet, aut si tuarum rerum cogitatione mæres, non facile exauriri tibi istum dolorem posse uniuersum puto: si uero illa te res cruciat, quæ magis amoris est, ut eorum, qui occiderunt, miserias lugeas (ut ea non dicam, quæ sapissime et legi et audiui, nihil mali esse in morte,

in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius quam mors ducenda sit: sin sit amissus, nulla uideri miseria debeat, quæ non sentiatur, hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere Reipublicæ, quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse uideatur. Quid est enim iam non modo pudori, probitati, uirtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati, ac saluti loci? non mehercule quæquam audiui hoc grauissimo, & pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non a dijs immortalibus ereptus ex his miserijs, atq; ex iniquissima conditione uitæ, uideretur. Quare si tibi uis hoc detrabi potest, ne quid ijs, quos amasti, mali putes contigisse: permultum erit ex mærore tuo diminutum. Relinquetur enim simplex illa iam cura doloris tui, quæ non cum illis comunicabitur; sed ad te ipsam proprie referetur, in qua non est iam grauitatis ac sapientię tuæ, quam tu a puero præstitisti, ferre immo deratius casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria maloq; seiunctus. Etenim eū semper te, & priuatis in rebus et publicis præstitisti, tuenda tibi ut sit grauitas, et constantia seruandum. Nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos lucus uetustate tollit, id nos præripere cōsilio prudentiaq; debemus. Etenim si nulla unquam fuit liberis amissis tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit: certe nos, quod est diu es allatura, id cōsilio anteferre debemus: neq; explicare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possimus. His ego literis si quid profecisse, existimabam optandum quiddam me esse affectum: sin mo-

nos forte ualuisse, officio tamen esse functum bene-
uolentissimi atq; amicissimi, quem me tibi et fuisse sem-
per existimes uelim & futurum esse confidas. Vale.

M. C. S. D. P. SEXTIO
P. FILIO.

Non obliuione amicitiae nostrae, neq; intermissio-
ne consuetudinis meae superioribus temporib.
ad te nullas literas misi: sed quod priora tempora
in ruinis Reipublicae nostrisq; iacuerunt, posteriora
autem me a scribendo tuis iniustissimis atq; acerbissi-
mis incommodis retardarunt. Cum uero & interual-
lum iam satis longum fuisset, & tuam uirutem, ani-
miq; magnitudinem diligentius essem mecum recorda-
tus: non putavi esse alienum institutis meis, haec ad te
scribere. Ego te P. Sexti & primis temporibus illis,
quibus in inuidiam absens, & in crimen uocabare,
defendi: & cum in tui familiarissimi iudicio & peri-
culo tuum crimen coniungeretur, quam potui accurat-
issime te, tuamque causam tutatus sum: & proxima
me recenti aduentu meo cum rem aliter institutam
offendissem, ac mihi placuisset, si affuissem: tamen
nulla in re salutis tuae defui: cumq; eo tempore inuidia
omnium, inimici non solum tui, uerum etiam amicorum
tuorum iniquitas totius iudicii, multaq; alia Reipubli-
cae uitia plus, quam causa ipsa, ueritasq; ualuisse:
Publio tuo neq; opera, neq; consilio, neq; labore, ne-
que gratia, neq; testimonio defui. Quamobrem omni-
bus officiis amicitiae diligenter a me sancteq; serua-
tis, hoc quidem praetermittendum esse duxi, te ut
hortas

hortarer, rogaremque, ut & hominem te & uirum esse meminisses, id est, ut & communem incertumque casum, quem neque uitare quisquam nostrum, neque praestare ullo pacto potest, sapienter ferres, et dolori fortiter, ac fortunae resisteres, cogitaresque & in nostra ciuitate, & in cæteris, quæ rerum potitæ sunt, multis fortissimis atque optimis uiris iniustis iudicijs tales casus incidisse. Illud utinam ne uere scriberem, eam te Republica carere, in qua neminem prudentem hominem res ulla delectare possit. De tuo autem filio uereor, ne, si nihil ad te scripserim, debitum eius uirtuti uidear testimonium non dedisse: sin autem omnia, quæ sentio, perscripserim, ne refricem meis literis desiderium ac dolorem tuum. Sed tamen prudentissime facies, si illius pietatem, uirtutem, industriam, ubicunque eris, tuam esse tecum duces. Nec enim minus nostra sunt, quæ animo complectimur, quam quæ oculis intuemur. Quamobrem & illius eximia uirtus, summusque in te amor, magnæ tibi consolationi debet esse, & nos, ceterique, qui te non ex fortuna, sed ex uirtute tua pendemus, semperque pendemus, maxime etiam, si tuæ conscientia, cum tibi nihil merito accidisse reputabis, & illud adiunges: HOMINES sapientis turpitudinem, non casu, & delicto suo, non aliorum iniuria commoueri. Ego & memoria nostræ ueteris amicitia, & uirtuti, atque obseruantia filij tui monitus, nullo loco deero, neque ad consolandum, neque ad leuandum fortunam tuam. Tu si quid ad me forte scripseris, perscrutiamur, ne te frustra scripsisse arbitrare. Vale.

Et si egomet qui te consolari cupio, consolandus
 ipse sum, propterea quod nullam rem grauius
 diu tuli, quam incommodum tuum: tamen te ma-
 gis prope non hortor solum, sed etiam pro amore non
 pro rogo atq; oro, te colligas, uirumq; præbeas, & *et colligas, uirumq; præbeas, &*
 qua conditione omnes homines, & quibus tempora-
 ribus nati simus, cogites. Plus tibi uirtus illa dedit, quā
 fortuna abstulit, propterea quod adeptus es, quod
 non multi homines noui, amisisti, quod plurimi homi-
 nes nobilissimi. Ea deniq; uidetur conditio impendere
 legum, iudiciorum, temporum, ut optime actum cum
 eo uideatur esse, qui quam leuissima pœna ab hac Re-
 publica discesserit. Tu uero, qui & fortunas & libe-
 ros habebas, & nos, cæterosq; necessitudine & bene-
 uolentia tecum coniunctissimos, quiq; magnam facul-
 tatem sis habiturus nobiscum, & cum omnibus tuis
 uiuendi, & cum unum sit iudicium, ex tam multis,
 quod reprehendatur, idq; una sententia, eaq; dubia, po-
 tentiæ alicuius condonatum existimetur: omnibus his
 de causis debes istam molestiam quam leuissime fere-
 re. Meus animus erit in te liberisq; tuos semper, quē
 uis esse uis, & qui esse debet. Vale.

M. CICERO RVFO.

76

Et si mihi nunquam dubium fuit, quin tibi essem
 carissimus: tamen quotidie magis id perspicio,
 et atq; id, quod mihi ostenderas quibusdam literis,
 hoc te studiosiorem in me colendo fore, quam in pro-
 uincia fuisses (et si meo iudicio nihil ad tuum prouin-
 ciale officium addi potest) quo liberius iudicium esse
 posset tuum. Itaq; me & superiores literæ tuæ admo-
 dum

dum delectauerunt, quibus & expectatum meum aduentum abs te amanter uidebam, et cum aliter res accidisset, ac putasses, te meo consilio magnopere esse lætatum: & his proximis literis magnum cepi fructum & iudicij, & officij tui: iudicij, quod intelligo te id, quod omnes fortes ac boni uiri facere debent, nihil putare utile esse, nisi quod rectum honestumque sit: officij, quod te mecum, quodcumque cepissem consilij, potius ceris fore: quo neque mihi gratius, neque ut ego arbitror, tibi honestius esse quicquam potest. Mihi consilium captum iam diu est, de quo ad te, non quo celatus esses, nihil scripsi antea, sed quia communicatio consilij tali tempore, quasi quædam admonitio uidetur esse officij, uel potius efflagitatio ad cõundam societatem uel periculi uel laboris. Cum uero ea tua sit uoluntas, humanitas, beneuolentia erga me, libenter amplector talem animum: sed ita (non enim dimittam pudorem in rogando meum) si feceris id, quod ostendis, magnam habeo gratiam: si non feceris ignoscami: & alterum timori, alterum mihi te negare non potuisse arbitror. Est enim res profecto maxima, quid rectum sit apparet, quid expediat, obscurum est, ita tamen, ut si nos huius sumus, qui esse debemus, id est, studio digni & literis nostris, dubitare non possumus, quin ea maxime cõducant, quæ sunt rectissima. Quare tu, si simul placebit, statim ad me uenies: sin idem placebit, atque eodem modo, nec continuo poteris, omnia tibi ut nota sint, faciam. Quicquid statueris, te mihi amicam, sin id quod opto, etiam amicissimum iudicabo. Vale.

Quoquo modo potuissem, te conuenissem, si eo
 quo constitueras, uenire uoluisses. Quare
 mei commodi causa commonere me noluisti, tamen
 existimes uelim, me antelaturum fuisse, si ad me ue-
 nisses, uoluntatem tuam commodum meo. Ad ea, quae
 scripsisti, commodius equidem possem de singulis ad-
 te rebus scribere, si M. Tullius scriba meus adesset, a
 quo mihi exploratum est, in rationibus duntaxat re-
 ferendis (de cæteris rebus affirmare non possum) ni-
 hil eum fecisse scientem, quod esset cōtra aut rem, aut
 excusationem tuam: deinde si rationum referenda-
 rum ius uetus et mos antiquus maneret, me relaturū
 rationes, nisi tecum pro coniunctione nostrae neces-
 sariis contulisset confecissemq; non fuisse. Quod
 igitur fecissem ad urbem, si consuetudo pristina ma-
 neret, id, quando lege Iulia relinquere rationes in
 prouincia necesse erat, easdemq; totidem uerbis re-
 ferre ad ærarium, feci in prouincia. Neque ita feci, ut
 te ad meum arbitrium adducerem: sed tribui tibi tan-
 tum, quantum me tribuisse nunquā pœnitebit: totum
 enim scribam meum, quem tibi uideo nunc esse susce-
 ptum, tibi tradidi, tu ei M. Mindium fratrem tuum ad-
 iunxisti: rationes confecta me absente sunt tecum, ad
 quas ego nihil adhibui præter lectionem: ita accepi li-
 brum a meo seruo scriba, ut eundem acceperim a fra-
 tre tuo. Si honos id fuit, maiorem tibi habere non po-
 teris: si fides, maiorem tibi habui, quam pene ipsi mihi.
 Si prouidendum fuit, ne quid aliter, ac tibi et hone-
 stum et utile esset, referretur, non habui, cui potius
 id negotij darem, quam scribæ meo. Illud quidem cer-
 te scitum est, quod lex inebat, aut apud duas ciuita-

K tes,

tes, Laodicensē & Apamensem, quæ nobis maxime
uidebantur, quoniam, ita necesse erat, rationes confi-
ctas & consolidatas deponeremus. Itaq; huic le-
co primum respondeo, me quanquam iustus de causis
rationes deferre properarim, tamen te expectatur
fuisse, nisi in provincia relictas rationes pro latu
haberem. Quamobrem de Volusio quod scribis, non
est id rationum, Docuerunt enim me periti homines,
in his cum omnium peritissimus, tū mihi amicissimus,
C. Camillus, ad Volusium transferri nomen Valerio
non potuisse: sed prædes Valerianos teneri: neq; id
erat sestertijs XXX. ut scribis, sed XIX: erat enim
curata nobis pecunia Valerij mæcipis nomine, ex qua
reliquum quod erat, in rationibus retuli. Sed sic
me & liberalitatis fructu priuas, & diligentia, &
(quod minime tamen laboro) mediocris etiam pro-
dentia, liberalitatis, quod maius scribæ mei benefi-
cio, quam meo legatum meum, præfectumq; Lepidum
maxime calamitate leuatos, cum præsertim non debe-
rent esse obligati diligentia, quod existimas de tuo
officio meo, tanto etiā periculo nec scisse me quic-
quam, nec contigisse scribam, quicquid uoluisset, cur
id mihi ne recitasset quidem, retulisse, prudentia, cum
rem a me non insipienter actam, ne cogitatam qui-
dem putes. Nam & Volusij liberandi meum fuit con-
siliū, & ut multa tam grauis Valerianis prædibus,
ipsiq; T. Mario depelleretur, a me initia ratio est:
quam quidem omnes non solum probant, sed etiam
laudant: & si uerum scire uis, hoc uni scribæ meo in-
tellexi non nimium placere. Sed ego putauī esse uiri
boni, cum populum suum seruaret, consulere foris

tot amicorum uel ciuium. Nam de Luceio est ita
 ut, ut autore Cn. Pompeio, ista pecunia in fano
 ponatur: id ego agnoui meo iussu esse factum, qua
 pecunia Pompeius est usus, ut tua, quam tum exposue-
 rex tuis, Sed hac ad te nihil intelligo pertinere. Il-
 lud me non animaduertisse, moleste ferrem, ut ascri-
 berem, te in fano pecuniam iussu meo deposuisse, nisi
 ista pecunia grauissimis esset certissimisque monumentis
 testata, cui data, quo senatusconsulto, quibus tuis, qui-
 bus meis literis P. Sextio tradita esset. Quæ cum ui-
 derem tot uestigijs impressa, ut in his errari non pos-
 set, non ascripsi id, quod tua nihil restabat. Ego ta-
 men ascripsisse mallet, quando te uideo id desidera-
 re. Sicut scribis tibi id esse referendum, idem ipse sen-
 tio: neque in eo quicquam a meis rationibus discrepa-
 bant tuæ. Adde enim tu, meo iussu, quod ego nunc
 quam addidi, nec causa est, cur negem, nec, si causa
 esset, & tu nolles negarem. Nam de sestertijs non-
 gentis millibus certe ita relatum est, ut tu, siue frater
 tuus referri uoluit. Sed si quid est (quando de Logeio
 parum gratiosum est) quod ego in rationibus refe-
 rendis etiamnum corrigere possim: de eo mihi cum se-
 natusconsulto non sim usus, quid per leges liceat, con-
 siderandum est, te certe in pecunia exacta ita efferre
 ex meis rationibus relatis non oportuit, nisi quid me
 fallit: sunt enim alij peritiores. Illud caue dubites,
 quam ego omnia faciam, quæ interesse tua, aut etiam
 uelle te existimem, si ullo modo facere possim. Quod
 scribis de beneficijs: scito a me & tribunos militum
 & præfectos, & contubernales duntaxat meos
 delatos esse. In quo quidem me ratio fefellit: liberum

enim mihi tempus ad eos deferendos existimabam dari : postea certior sum factus , triginta diebus deferri necesse esse , quibus rationes retulissim. Sane molesti tui non illa beneficia tuæ potius ambitioni referenda esse , quam meæ , qui ambitione nihil uterer. De centurionibus tamen , & de tribunorum militarium eorum tubernalibus , res est in integro , genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat. Reliquum est de sestertijs centum millibus , de quibus memini mihi a tu Smyrna literas esse allatas non mei errati , sed tui : in quo peccatum uidebatur esse , si modo erat , fratris tui & Tullij. Sed cum id corrigi non posset , quod iam depositis rationibus ex provincia decessissemus : credo me quidem tibi pro animi mei uoluntate , proque ea ipsa facultatum , quam tum habeamus , quam humanissime potuerim rescripsisse. Sed neque me tum humanitate mearum literarum obligatum puto , neque me tuam hodie epistolam de sestertijs centum sic accepisse , ut illi accipiunt , quibus epistolæ per hæc tempora molestæ sunt. Simul illud cogitare debes , me omnem pecuniam , quæ ad me saluis legibus peruenisset , Ephestio pud Publicanos deposuisse : id fuisse sestertia XII , eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse : quod ego siue æquo animo siue iniquo , tu de sestertijs centum æquo animo ferre debes , & existimare eo minus ad te , uel de tuis cibarijs , uel de mea liberalitate , peruenisse. Quod si mihi expensa ista sestertia centum tulisses , tamen quæ tua est suauitas , quique in me amor , nolles a me hoc tempore æstimationem accipere : nam numeratum si cuperem , non erat. Sed hæc iocatum me putato , ut ego te existimo. Ego tamen , cum

Nullius rure redierit, mittam cum ad te, si quid ad rē
parabis pertinere. Hanc epistolam cur non scindi ue-
lim, causa nulla est. Vale.

M. T. C. S. D. L. MESSINO. 73

GRatæ mihi literæ tuæ fuerunt, ex quibus intel-
lexi, quod etiam sine literis arbitrabar, uiden-
di mei te summa cupiditate affectū esse: quod ego ita
libenter accipio, ut tamen tibi non concedam: nam te
cum esse ita mihi commoda omnia, quæ opto, contin-
gent, ut uelementer uelim. Vt enim cum esset maior
& uiuorum, & ciuium bonorum, & iucundorum ho-
minum, & amantium mei copia: tamen erat nemo,
qui cum essem libentius, quam tecum, & pauci, qui-
bus cum essem æque libenter: si hoc uero tempore,
cum alij interierint, alij absint, alij mutati uoluntate
sint, unum mediusfidius tecum diem libentius posue-
rim, quem hoc omne tempus cum plerisque eorum, qui-
bus cum uiuo necessario. Nolim enim existimare te,
mihi non sollicitudinem iucundioresse, qua tamen
ipsa uti non licet, quam sermones eorum, qui frequen-
tant domum meam, expecto uno, aut ad summum al-
tero. Itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum
conseo, literulis nostris, præterea etiam conscientia
consiliorum meorum. Ego enim is sum, quemadmo-
dum tu facillime potes existimare, qui nihil unquam
mea potius quam meorum ciuium causa fecerim: cui
nisi inuidisset is quem tu nunquam amasti (me enim
amabas) & ipse beatus esset & omnes boni. Ego
sum, qui nullus uim plus ualere uolui, quam honestum
ocium: idemque cum illa ipsa arma, quæ semper timu-
eram

eram, plus posse sensi, quam illum consensum bonorum
quem ego idem affeceram, quamuis tuta condicione
pacem accipere malui, quam uiribus cum ualentiore
pugnare. Sed & hæc & multa alia coram breui tem-
pore licebit. Neq; me tamen ulla res alia Roma te-
net, nisi expectatio rerum Africanarum: uidetur enim
mibi res in propinquum adducta discrimen: puto
tem mea nonnihil interesse, quanquam id ipsum, qui
interfit, non sane intelligo. Veruntamen quicquid
hinc nunciatum sit, non longe abesse uelim a consilio
amicorum: Est enim res ipsa iam in eum locum adduc-
ta, ut quanquam multum interfit inter eorum camp-
sas, qui dimicant, tamen inter uictorias non multum
interfuturum putem. Sed plane animus, qui dubijs re-
bus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus
est multum: quem etiam superiores tuæ literæ con-
firmarunt, quibus intellexi, quam fortiter iniuriam
ferres: iuuatq; me, tibi cum summam humanitatem,
tum etiam tuas literas profuisse. Verum enim ser-
bam, teneriore mibi animo uidebare, sicut omnes spe-
re, qui uita ingenua, in beata & libera ciuitate uiui-
mus. SED VT ILLA secunda moderate tribu-
mus: sic hanc non solum aduersam, sed etiam funditus
euerfam fortunam fortiter ferre debemus: hoc salu-
tem in maximis malis boni sequamur, VT MOR-
TEM, QVAM ETIAM beati contemner-
debeamus, propterea quod nullum sensum esset be-
bitura, nunc sic affecti non modo contemnere debe-
mus, sed etiam optare. Tu, si me diligis, fruere
otio, tibi persuade, PRAETER CVLPAM
AC PECCATVM, (quo semper caruisti et

crebis) homini accidere nihil posse, quod sit horribi-
le aut pertimescendum. Ego, si uidebitur recte fieri
posse, ad te ueniam breui: si quid acciderit, ut mutan-
dam consilium sit, te certiore faciam statim. Tu ita
fac cupidus mei uidendi sis, ut istinc te ne moueas tam
infirma ualetudine, nisi ex me prius quæsieris per lite-
ras, quid te uelim facere. Me uelim, ut facis, diligas, ua-
letudiniq; tuæ & tranquillitati animi seruias. Vale.

MARCI TVLLII

CICERONIS EPISTOLARVM

LIBER AD A. TORQVA-

TVM ET CAETE-

ROS.

M. C. A. TORQVATO

S. P. D.

79



TSI ea perturbatio est omnium
rerū, ut suæ quæq; fortunæ ma-
xime pœniteat, nemoq; sit, quin
ubiuis, quā ibi, ubi est, esse malit:
tamen mihi dubium non est, quin
hoc tēpore, bono uiro Romæ es-
se, miserrimum sit. Nam etsi quocunq; in loco quisq;
est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas ex interitu
rerum & publicarum & suarum: tamen oculi au-
gent dolorem, quia ea, quæ cæteri audiunt, intueri co-
guntur, nec auertere a miseris cogitationem sinunt.

K 4

Qua